



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 19. De usuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](#)

qui rem quinque solidis valentem, aut plus, fuerit furatus, laqueo suspendi jubetur; si minus, scopis & forcipe excoriari ac tundi. Quod & usus passim fecerit. Vide Welsemb. D. adh. 2. circa finem, & Covar. Var. resolut. lib. 2. c. 3.

4. At verò Jure Canonico Clericis, in furto graviori captus, & de eo convictus, sive per sententiam, sive per confessionem, sive per evidentiā rei, deponitur, can. Presbyter. Dist. 81. juncta Glos. ibid. in V captus; verbaliter scilicet, ut nō sit Joan. And. in e. Tua inf. Depenū, Abbas in e. At si Clericis sup. De iudiciis: & in monasterium detruditur, d. e. Tua Hostien. in Summa h. 1. § fin. Insuper efficitur infamia, sicut laicus, condemnatus in foro seculari: nam quicumque sit infamia secundum leges, etiam sit infamia secundum Canones, arg. can. Infames vi. q. 1. Dixi, in furto graviori; quia pœna ista non est imponenda, quando est furtum parvum momenti.

TITULUS XIX.

De Usuris.

§. I.

Usura quid sit, & quibus modis accipiatur.

1. Usura quid sit.
2. 3. Quos modis accipiatur: & definitio ejus enucleata.
4. Antichristis juro Civilis licita, & Canonico prohibita.

1. Furtu proxima est usura: nam & species est rapina, can. Si quis usuram xiv. q. 2. imē non minus crudelis est, qui trucidat pauperem fœnore, quam qui subtrahit aliquid vel eripit divitiā can. Quid dicamus xiv. q. 4. & ex codem fonte manat, quo furtum, nempe ex avaritia, teneturque usurarius non minus, quam furtus, de restituitione, e. Cum tuū c. Tua nos 9. c. Consuluit 10. Gralii b. 2. adeò ut quamvis debitor juraret creditori se usuras solutas non repetiturum ad eam tamē restitucionem per Judicem Ecclesiasticum compelli debeat, e. Quia frustra 14. hoc iiii.

Usura, si propriam notionem spectes, idem valet, quod usus: unde & Latinē dicimus, quem habere vel alicui eripi usuram, hujus lucis; & Cicero alibi, natura, inquit, degit usuram vita, sicut pecunia. Inde transfertur ad significandum incrementum, quod tanquam fructus provenit ex usu ejususque rei. Ita Cicero de Senect. Terra nunquam sine usura reddit, quod recipit. Hinc factum est, ut lucrum, quod ex usura seu usu pecunia provenit, tam sacri Canones quales usuram appellant: hoc tamen discrimine, quod leges civiles usuram magis in pecunia numerata constituant, alias autem res, quæ jure accessionis veniunt: in vicem usurarum accipire, l. Siu. qui §. 1. D. De pignor. l. S. ea passiones. l. S. ea lege 17. C. h. 2. jus verò Canonico inquisitum acceleratione lucri septa sortem principale, ut patet ex can. Consuluit xiv. q. 3. per tot. sive expressè sive tacite hoc lucrum conceptum sit. Idem lucrum etiam vocatur Fœnus, l. Improbum Fœnus C. Ex quibus causis infamia &c. & toro ut. D. & C. Denauisico fœnare; à furtu scilicet fœnuta quadam pecunia parentis arque incrécentis, ut ait Vatro apud Gellium lib. 14. c. 2. & Graec. eadem ratione τόνος appellatur, quas sit quidam partus, seu fructus pecuniarum, utrūcō est Aristot. 2. Polit. c. 7. Et hinc Fœnare & Fœnerari, can. 1. xiv. q. 3. l. Qui sine D. De negot. gestis & similib. quæ tamen non semper captiuntur in malam parentem, ut Duter. 19. Fœnabilita gentibus multa, & à nullo fœnus accipere, id est, mutuabis & Ecclesiast. 2. 9. Fœnare, proxime in tempore necessaria.

2. Tripliciter autem nomen Usura hoc Tit. capitulū; Primum, pro voluntate in eundem contratum usurarium seu percipiendi lucrum ex mutuo ultra sortem; sive nihil est aliud, quam voluntas capiendi lucrum supra sortem ex vi mutui. Nam & sola voluntate seu intentione usuram committi patet ex cap. Consuluit 10. h. 2. & illis Christi verbis, Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes; sive scilicet principiter, sive minus principaliiter, tanquam premium mutui, seu tanquam debitum ex obligacione justitiae propter mutuum seu ex mutuo nata: quia per mutuum nulla ad tale lucrum nascitur obligatio, & ideo iniquum est illud sperare, tanquam ex obligatione justitiae per mutuum inducta. Secundo sumitur pro ipsa

conventione seu contractu usuratio, quo lucrum ultra sortem ratione mutui pacificatur aut saltem speramus, cap. 3. & 4. hoc est. Hinc dicimus usurarium contra eum, usurarium negotium, d. l. Qui sine in fine, & l. Si pupilli in fine, D. Denegor. gestis; siveque nihil est aliud quam mutuatio ex pressa vel implicita cum pacto redditus aliquid ultra sortem ratione mutui. Terzid pro ipso lucro usurario. Hoc pacto dicuntur usura. lo. vi vel restitui. s. Cum tu 5. cap. Praterea 7. hoc est.

3. Et hoc modo accepta usura definiti potest lucrum immediate proveniens ex mutuo. Nominis lucri intelligitur acquisitionis alicujus rei supra sortem pecunia estimabilis, vel alias indebita. Idoq; si alicui mutures, ut tibi definiatur inique nocere, vel debitum antiquum solvat, aut reddat depositum, non erit usura, quia nihil acquisis nisi alio titulo tibi debitum, cap. 1. in fine h. t. Similiter non est usura, si mutues alicui, ut amicitia vel favorem ejus consequaris, licet inde aliquid emolumenti vel beneficii spes, quia amicitia non estimatur pecunia. Contra vero, si mutuum dederis, eoque nomine pignus accipias, eo pacto adiecto, quod interea, dum mutuum non erit exolutum, fructus ex pignore percipias ultra sortem tanquam lucrum usuram commititis, d. e. 1. & 2. h. t. quam ut evites debes eos in sortem imputare, id est quantum fructuum percepferis, tantum de sorte diminue te, e. Conquestus h. t.

4. Et in hoc differt ius Pontificium à Civilium jure. Civili fructus pignoris pacisci, donec mutuum exolutum fuerit, licet; & vocatur haec uaria antichresis, id est reciprocus usus, semper quasi tu debitor utaris mea pecunia, & ego interea te tua. l. Sipe cuniam 32. D. de pignor. actione. S. ea 17. Cod. hoc tit. Idque ea ratione, quia incertus sit fructuum proventus ex te oppignorata, & fieri possit, ut non tantum comodi ex fructibus pignoris percipias, quantum lucratus fuisses pecunia mutuata, si ea interea in aliqua negotiatione usus fuisses.

Additum fuit in definitione, immediate; quia totum lucrum provenire debet immediatè ex vi mutationis: nam si immediatè proveniat ex amicitia, vel gratitudine, vel spe alicendi mutuantem ad continuandum mutuum, vel ratione periculi, cui mutuum expos-

natur, vel ratione laborum & impensarum, quæ probabilitè timentur in mutuum recuperando, vel denique ratione damni emergentis aut lucri cessantis, non enim usura. Et hinc sit, quod licet pactio inter debitorem & creditorem, ut tam diu creditor lucretur fructus pignoris, quamdiu mutuum non redditur, sit usura, cap. 1. 2. & c. Conquestus 8. hoc est. nihilominus tamet directus dominus fructus feudi vel rei emphyteutice, sive à vasallo vel emphyteuta pro debito oppignorata, legitimè percipiat, nec in sortem imputare teneatur, c. 1. sup. Defensio. Ratio est, quia contractus feudalis & emphyteuticus inter alias racitas conditiones, cum quibus semper censemur celebrari, nisi contrarium exprimatur, habet & hanc, ut si feudum vel fundus emphyteuticus oppignoretur directo domino, possit ipse percipere fructus, idque res apud directum dominum existens fructificet alteri; quod non videtur rationi consonum. Similiter gener fructus possessionum seu agrorum, pro dote promissa obligatorum, rectè percipit, nec in sortem aut dotem imputare teneatur, c. Salubriter 16. hoc tit. Ratio est, quia non fuit mens socii, ut ratione horum fructuum dos minueretur, sed ut gener frueretur illis ad sustinenda onera matrimonii donec illis dos representaretur; atque ita ex alia causa, quam ex vi mutui eos percipit. Alioqui si constaterem esse oppignoratum in securitatem dumtaxat dotis, nulla subesset ratio fructus illos retinendi, nisi ratione lucri cessantis.

Ur autem censemur ex vi mutui provenire lucrum usurarium, requiritur, ut mutuator intendenter mutuantur ex vi pacti mutationis obligare obligatione justitiae, qualis per pactum induci solet, vel certè, ut mutuantur potest hanc fuisse mentem mutuantis, L. esl. 2. De Justitia cap. 29. Dubit. 2.

Dictum quoque fuit, ex mutuo proveniens s. quia in eo propriè locum habet usura, can. 1. cum seq. xiv. qu. 3. & patet ex citatis Christi verbis. Ratio est, quia in mutuo transfertur rei mutuata dominum in accipientem: ideo enim iniquum est pro usu rei, jam alterius factæ, aliquid exigere aut sperare. In aliis vero contractibus non habet usura locum, nisi quatenus in iis mutuum implicitum (quod ad usuram sufficit, cap. Consultum 10. hoc tit. continetur,

P. P. 2. rati-

ratione cuius proinde plures alii contractus usurarii sunt. Sic enim venditio rei pluris justo pretio ob dilationem solutionis, & emptio minoris justo pretio propter anticipatam solutionem est usuraria, c. In civitate 6 d.e. consuluit &c. fin. b. t. quia vendor concedens dilationem implicitè emptori mutuat pretium usque tempus solutionis; dum empori anticipat solutionem, implicitè mutuat usque ad tempus traditionis. Et hoc mutuum Interpretes vocant obliquum seu brevi manu contractum. Magis autem spectandum est, quod agitur, quam quod simulat concipitur, l. Insulam D. de praescriptis verbis, toto Tit. Cod. Plus valere, quod agitur, &c. Similiter usuraria est venditio, quando eidem apponitur pactum de recipienda re post certum tempus, modo constituto pretio, c. Ad nostram 5. sup. De empto. & vendito. vel quando quis emit rem aliquam, eo adjecto pacto, ut post tempus restituatur eam vendori recipiendo aliquid ultra sortem fructibus, quos percipit, in ea computatis, c. Illo 4. sup. De Pignorib. Aliud dicendum de venditione rei pluris justo pretio ob dilatam solutionem, si verisimiliter dubitetur, an res quae venditur plus minusve solutionis tempore sit valuta, nec vendor ante tempus illud venditur: nam his duabus conditionibus concurrentibus licita est venditio, nec usuram continet, d. e. In civitate. Idque propter dubium eventum majoris vel minoris precii tempore solutionis, quia utrumque emptori & vendori emolumento vel damno esse potest, l. fin. b. t. Facit l. Sie a Cod. eod. & quod de jactu reis & fructibus furoris emendis respondit Pompon, in l. Nee emptio 8. D. de contrahenda emptione.

§. II.

Quibus modis dividatur Usura.

1. Usura alia est Mentalis, alia Realis.
2. Realis vel Formalis vel Virtualis.
3. Item alia est Lectoratoria, alia Punitoria, alia Compensatoria.
4. Rursum alia Centesima, alia Tridentalis, Bessallia, &c.

Primò dividi potest in Mentalem & Realem. Mentalis est, quando quis mutuat eo animo & intentione, ut lucrum ex mutuo accipiat, sita conventionem, expressam vel ta-

citam, cuī mutuatio, de tali lucro percipiendo. Realis est, quando quis mutuat cum pacto espresso vel tacito de lucro ex mutuo percipiendo.

Unde subdividi potest in Expressam & Tacitam, Expressa est, quando pactum intervenit expressum de lucro ex mutuo percipiendo. Tacita, quando solū tacitum adest pactum; veluti, si Titius solitus sit mutuare cum usuris, & mutuans Cajo; dicat eidem, Scis consuetudinem meam in mutuando

2. Secundò dividit Realis Usura in Formalem & Virtualem. Formalis, in qua intervenit formaliter mutuum, cum lucro ex eo veluti, si mutues Cajo centum, ut elapsō anno centum & quinque recipias. Virtualem est, in qua mutuum intervenit tantum virtute & implicitè, prout intervenire diximus in venditione rei pluris justo pretio ob dilatam solutionem, & in emptione minoris justo pretio ob anticipatam solutionem.

3. Præterea dividi solet Usura in generē iurisconsultis in Lectoriam, Punitoriam, & Compensatoriam, Lectoria dicitur, quæ mutum lucrum continet, de qua hic agimus. Punitoria, quæ continet poenam aliquam, solvebā per mutuarium, propter ejus in mutuo reddendo moram. Compensatoria, quæ exigunt pro mutuo ratione justi interesse, damni levicet emergentis vel lucri cessantis, vel ratione periculi, laboris, aut expensarum, quæ probabilit̄ timeantur in recuperando mutuo.

4. Denique dividit possunt Usuræ pro diversa carum taxatione & moderatione. Hinc aliz dicuntur Centesimæ, quæ assis locum obtinent, ita ut reliquæ ad centesimam usuram redigantur, & in partes assis distinguantur. Appellatur autem Centesima, non quod centesimo mense æquet sortem, ut nonnulli tradiderunt, sed quod usura sive quantitas mensura sit centesima pars sortis, l. Eos Cod. De naus. fanore, l. 4. D. eod. tit fin. D. de jure dotium; hoc est, Centesima usura est, quando in centum quolibet anno solvuntur duodecim, ita ut singulis mensibus pro centum denariis singuli pendantur denarii: nam veteres stipulabantur usuras in singulos menses. Duodecima autem pars, quæ quolibet mense solvebatur, est illa, quam Corn. Tacit. 6. Annal. & Livius lib. 7. vocat uncianam usuram, quia est pars duodecima centesimæ

seu uneia ipsius assis, & diximus enim centesimam usuram esse aitem usuratum. Aliæ dicuntur Tuentes, & sunt tercia pars centesimæ, quæ sollicit pro centum quorū annis quatuor reddunt, l. 7. §. qui autem De amīnistrat interum, l. 3. in fine D. Ad. Eusebiām Aliæ Besales, quæ sunt dant centesimæ partes, quando pro centum pendant ut octo annūc, d. l. Eos. Aliæ semilles, quæ sunt dimid. pars centesimæ, & quilibet anno sex pro centum reddunt, d. l. Eos l. Almon. 30. D. de adīmon. legatis. Sunt item aliae Quincunxes, quæ quintam centesimæ redunt, nēmpe quinque pro centum quilibet anno. Cum quidam 17. in pīne D. De usuria. Aliæ Quadrages, cum tres quorū annis solvuntur, l. Librio 2. §. + D. de annis & mensuris legat. Aliæ Septunes, cum septem, aliæ Dodantes, cum novem; aliæ Dextunes, cum decem præstantur ita tamen ut quatenus in specie sua excedunt, revocentur ad modum à Justiniano præscriptum in d. l. Eos.

§. III.

Quo jure usuræ sint prohibitæ.

1. 2. 3. Prohibita sunt jure divino, naturali & Canonicō.

4. Iure Civili quatenus permitta.

5. Iure Justiniane posteriori non esse prohibitas.

6. Anatoeclīmus id est usura usurarum sublata à Justiniano.

7. Fænum nauticum jure Canonico non omnino improbatum.

Quæritur hic de solis lucratoris: nam compensatoriaz quibus venit omnia, quod abest, sive ratione damni emergentis, sive ratione lucri cessantis, & punitoriaz non sunt aliquo jure prohibitæ, dummodo res ex veritate geratur, nec quidquam sit in fraudem usuratum. Et proinde requiritur, ut in punitoriis debitior verè sit in culpa, non solvendo; pœna sit moderata, iuxta mensuram culpæ, & insuper ut mora sit notabilis; in quo tamen spectanda negotii qualitas & mos provinciæ. At verò lucratorias prohibitas esse satis constat ex Clement. unica §. ult. b. t. & ex variis Scripturæ locis: Ideoque scilicet dubitatur, quo jure sint prohibitæ.

1. Et quidem primò prohibitas esse de Jure divino, tam veteri quam novo, patet ex cap. Quia in omnibus 3. & seq. 3. h. t. Item Psal. 14. in quo dicitur eum, qui pecuniam suam non deridat usuram, habiturum in monte sancto Domini, à contrario leuis, & Ezekiel 18. ubi dicitur de eo, qui dederit ad usuram, quod non vivet. Et in novo Testamento, ex verbis Christi citatis Luca 6.

Nec obstat illud Deuter. 28. Non frateraboris fratrius ad usuram pecuniam, nec fruges nee quamlibet rem alienam, quasi ab infidelibus usuras ex-gere licet: quia dicendum, solum fuisse pecunias usuras erga infideles, vel majoris malitie evitandi causa, ne fratres suos usuris exhaustirent, vel quia infideles erant hostes Justorum, quos proinde poterant tribus suis, sive artificio sive aliter privare.

2. Secundò prohibitas esse Jure naturali constat eo, quod contra jus naturale sit, nem̄ bis seu dupli pretio vendatur, & ut vendatur, quod non est vendentis, sed emporis, jam autem qui usuras accipit, vel eas accipit, pro sorte, & sic pro eadem re accepit duplex pretium, nēmpe summam sorti æqualem, & insuper usuram: vel accipit pro usu sortis, & sic vendit alteri usum rei non suæ, sed ipsi 15. ut natum, & consequenter usus rei. Addit. quod hil sit in mutuo, pro quo lucrum possit exigiri ultra sortem principalem: quandoquidem usus rei mutuata non distinguitur à substantia alieno, & quasi consumptio substantiæ, ideoque non potest pro ulo & pro substantia accipi distinctum pretium. Vide Covar. 3. Variar. res. sol. c. 1.

3. Tertiò, esse similiter prohibitas Jure Canonico patet ex XII. 9. 3. & 4. & hoc tit. Decretal. eodemque in 6. & in Clement.

4. De Jure Civili res non est ita expedita. Nam in primis de jure Digest. & Cod. permislas fuisse usuras, dummodo immodiæ non essent, docet Covar. d. loco: & patet ex l. Placit. 26. & dubiis seq. D. h. t. l. Eos, & dubiis seq. Cod. eod. l. Letta 40. D. de reb. cred. diversas tamen pro diversitate personarum & temporum. Nam centesimas fenerari potuisse deprehendit.

PPP. cx d. l.

ex d.l. Le^a & l. Si promutua Cod Sicutum petatur. Verum Justinianus in d.l. Eos Cod. b.t. rem ad & quissimam proportionem reducens, centesimas permisit dumtaxat in trajectitia pecunia, id est quæ mare traiicenda est periculo mutuantis, quæ ideo usuræ nauticæ & foenis nauticum appellantur; personis vero illustribus trientes concessis; bessales mercatoribæ, & iis solum, qui præter ergaletis, id est officinis operarum; semissæ denique reliquis personis, præter nominatas.

5. Verum dubitatur, an eodem jure permisæ fuerint usuræ, tanguam licetæ, ut existimant quidam, eo arguento, quod ad eas exigendas concessa fuerit actio, si modò per stipulationem de iis convenientiæ, ut patet ex l. 1. & 2. & alius Cod. cod. an verò ob bonum publicum dumtaxat, ad evitanda majora mala, sicut permittuntur lupanaria. Rursus controvertitur, an posterior jure Justinian. concessio non sit revocata. Revocatam existimant quidam, quia in l. 1. Cod. De summa Trinit. fateatur Justinianus se velle vivere secundum legem beati Petri Romanis traditam: & in Novel. de Ecclesiastulis in prime. approbet quatuor Consilia generalia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonensem, præcipiens observari sacras sanctiones eorumdem. Constat enim in Concilio Niceno expressè prohibitas & damnatas esse usuræ, can. Quoniam Distinct. 47. ita Gutierrez lib. 2. Can. Quest. cap. 18. n. 7. & 8. Verum non plane sublatas esse, alii existimant, quasi dictum Concilium loquatur tantum de Clericis, nee ad laicos pertineat: & tam d.l. 1. quam approbatio Justiniani tantum intelligatur quoad materiam fidei Catholicæ non etiam quoad ea, quæ idem Imp. aliis legibus statuerat. Quibus accedit, quod ex d. Novel. constet, certo modo usuræ esse permisæ: & in Novel. 130, permittantur usuræ nauticæ.

6. Sustulit tamen Justinianus in l. ult. Cod. b.t. omnem anatoxismum, id est usuræ usuratum, quæ nascuntur ex eo, quod usuræ nondum soluta annuncientur sorti, & pariant similiter lucrum; quod rursus adiicitur, & parit lucrum aliud, & sic in infinitum.

Cæterum omnes leges civiles, quatenus usuræ approbant, & actionem ad eas exigendas

concedunt, sunt per jus Canonicum correctæ & damnatae, tanquam illicitæ, ut patet ex plurimis Canonibus. Quinimò excommunicantur Judices, cogentes ad eum solutionem; Climenti, usica eodem.

7. Observandum tamen, quamvis jus Canonicum u' uras, ut illicitas, improbat: & in e Naviganti ult. b. t. resciliebat Pont. censendum esse usurarium eum, qui naviganti vel eunti ad oceanas certam mucuñ pecunia quantitatam, pro eo, quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid ultra fortē: tamen per hoc indissimile non improbat fœnus nauticum. Etenim vel improbat ibi Pont. centesimas dumtaxat, quæ jure Civili in pecunia trajectitia permittebantur; vel de eo loquitur, qui solebat alii ei naviganti mutuare pecuniam, quam suscipiendo in se periculum, lucri alicujus capienda causa: cum enim tun clucrum principaliter intendatur, & proveniat ex mutuo, erit verè usurarium. Secus dicendum, ubi sponte debitor cum credito convenit, ut is suscipiat in se periculum, constituta certa mercede periculo proportionata: idem licitum esse docet Covar. d.l. 3. Variar. resol. c. 2. n. 5.

§. IV.

De poenis usurariorum.

1. 2. Tenentur omnes usurarii ad restitutionem, ut iam mentales.
3. Etiam si juris debitor non repetiturum.
4. Etiam criminaliter puniri possunt.
5. Sunt infames: sunt excommunicandi, suspendendi ab officio.
6. Non habent testamenti facionem &c.

1. Cum usuram dixerim proximam esse tapinx, can. Si quis usuram XVI. q. 4. usuratasque accipere jure divino, naturali, & humano restitutum sit: nec dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, cap. Cum tu 5. hoc tit. tenetur in primis omnes usurarii, tam reales quam mentales, tam occulti quam manifesti, ad restitutionem usurarum: eritiam Judæi, c. Peistmobilis 12. & c. penult. b. t. Ea que obligatio trahit & ad hæredes eorum, pro parte hæreditaria d. c. Cum tu, c. Tha nos 9. b. t. Quin imò licentib[us] ad eos pervenerit, tamen satisfacere compellunt.

pellontur jure pontificis, juxta facultates defuncti, ut saltem hoc modo expicit peccatum usurarii, c. ult. sup. De sepult. e. in litteris sup. De rectorib. Quod cum conceruat favorem & salutem animæ, etiam jure civili servandum erit usq. c. fin. sup. De praescript. licet alias de jure ei, nulli poena perdonam deliquentis non egrediatur, Saneimus Cod. De penit. nec haereses ex delicto defunctorum convenientur, nisi quatenus aut ex delicto ad eos pervenit aut lite cum defuncto contestata, l. unica Cod. Ex delictis defunctor. §. non autem Vide Covar. 3. Var. resol c. 3 n. 7. & Gutierrez lib. 2. Can. Quest. c. 18 n. 46.

2. Prædicta adeò obtinent, ut, licet debitor juriaverit se solutarum usuras, aut non reperiturum, quod earum nomine solverit, nihilominus creditorum usurarium, compellere possit, ut vel remittat juramentum, si nondum solvere usuras, i. sup. De surejur c. Tuas 13 b. 1. vel solutas restituat, impetrata priusabsolutione à juramento, vel ejus remissione à creditore, idque officio Judicis per censorum Ecclesiasticam.

3. Hæc ratus obtinent etiam in usurariis mentalibus, c. Conculxit 10. b. t non obstat e. fin. §. 1. sup. De Simonia, ubi qui nullo pacto, sed solo animi affectu Simoniam commisit, non obligatur ad accepti restitutionem, sed sola poenitentia abolet delictum: quia diversa est ratio, nam quod in usura datur, coacte datur; quod vero in simonia ultrò datur. Præterea in usura turpitudo solium est ex parte accipientis; in simonia vero ex parte offensaque; in pari autem delicto potior est conditio possidentis, cap. In pari De R. l. in 6, nisi aliud lex specialiter disponat, prout disponit in Simonia reali, non etiam in mentali, ad quam dispositio in reali, cap. quam poenalis extendi non debet, c. Odia De R. l. in 6.

4. Quantum ad poenam criminalem attinet, ea de jure Civili est arbitria, ut docet Jul. Clat. §. Vjura. Et sicut contra usurarium agi potest criminaliter, ita & ad torturam pro eruenda veritate deventre licet, ubi legitima existente indicia. Per. Cabell. Resol. criminal. causa 188, n. 6.

Insuper usurarij manifesti, id est facto vel jure tales, sunt infames etiam jure Civili. l. Improbum 20. Cod. Ex quibus causis infamia irrog. can. infames 131. q. 2. insine. Dicitur autem

manifestus usurarius facto, qui palam usuram exercet ita ut nulla tergiversatione id negare queat: Jure vero, qui vel hoc crimen confessus est in jure, id est in judicio, vel de eo per sententiam Judicis condemnatus, c. fin. sup. De cohabitac. Clericor. cap. Cum olim &c. Super inf. De verb signif.

5. Jure insuper Canonico usurarii, si laici sint, jubentur excommunicari; si Clerici, suspendi ab officio & beneficio, e. Præterea 7. hoc t. imd & deposi, e. i. h. t. can. 4. & 8. XIV. q. 4.

Præterea usurarius manifestus neque ad communionem altaris, id est perceptionem Eucharistie, neque ad Ecclesiasticam sepulturam, neque ad oblationes admitti debet, e. Quia in omnibus 3. b. tit. & qui oblationes à talibus acciperit, eo ipso suspensus est ab officio, donec ad arbitrium Episcopi satisficerit, acceptumque compellitur restituere, d. e. 3. b. t. Qui vero scilicet sepulturæ quem tradidit, ipso facto est excommunicatus, nec absolvendus, donec arbitrio Episcopi satisficerit, Clement. i. De sepult. Vide Leff. 2. De lusit. cap. 20. Dubitat 22.

6. Sed nec admittendus est ad confessionem suorum peccatorum, nec ad testamenti factum, priusquam usuras restituerit, vel de restituendis idonee, id est pignoribus vel fidei jussoribus datis, caverit, juxta modum, qui statuit in t. 1. eod. in 6. Præterea Ecclesiastici non possunt usurariis manifestis alienigenis seu exterris elocate domos, concedere illis habitationem in terris suis: imd tenentur eos expellere intra tres menses sub poena suspensionis, ipso facto, si sint Episcopis, excommunicationis vero, si sint minores Episcopis, interdicti autem, si sit collegium vel universitas. Sed & Clemens V. Clement. 1. b. t. certas poenam statuit in Potestates, Capitancos, Rectores, Judices, Consiliarios, aliosque officiales communium qui de usuris solvendis vel non restituentur, statuta condunt, dicant vel scribunt, vel secundum ea pronuntiant. Vide Covar. 3. Var. c. 3.

¶(†)¶

TITU-